

videlicet cambium esse debet, ut pro quolibet floreno tantum solvatur de auro, argento, grossis Turonensibus vel sterlingis, quantum Colonie in comuni cambio valere potest. De quibus bis centum milia florenorum eidem domino nostro imperatori citra finem quinque septimanarum post instans festum diei Pasche immediate sequentem vel saltem infra octo dies easdem quinque septimanas proxime subsequentes¹ iuxta cambium Coloniense predictum idem dominus rex dari faciat et persolvi. Quibus quidem bis centum milibus florenorum Colonie persolutis et abinde infra quatuor dies sine vara a tempore solucionis eorundem immediate sequentes aput Franchenfurt per ipsius domini imperatoris commissarios presentatis, prefatus dominus noster imperator infra octo septimanas diem solucionis Colonie facte proxime et immediate sequentes cum pleno et integro numero galeatorum suorum predictorum sine dolo ex alia parte Reni ad tres leucas prope Coloniam personaliter esse debet, dummodo per venerabiles patres dominos . . Treverensem et . . Moguntinum archiepiscopos necnon magistrum ordinis Theotunicorum in Alemania vel unum ex eis saltem prefato domino nostro imperatori, quando cum sua gente armatorum aput Franchenfurt venerit, quod residua centum milia florenorum in domo fratrum Theotunicorum Colonie sint deposita et in eorum vel in commissariorum suorum presentatione assignata, fuerit nunciatum. Hoc addito, quod si sepefatum dominum nostrum imperatorem post huiusmodi annunciacionem, ut premittitur, sibi factam cum suis gentibus armatis descendere non contingat, ut prescribitur, domini Moguntinus et Treverensis archiepiscopi ac magister fratrum Theotunicorum sepepredicti prescripto domino regi Anglie vel certo eius commissario eadem centum milia florenorum in domo fratrum Theotunicorum Colonie in eorum presentatione assignata restituere sine diminucione tenebuntur, et cum eidem domino imperatori, postquam cum suis gentibus armatis prope Coloniam^a ad tres leucas venerit, ut premittitur, vel suis certis procuratoribus de predicta summa videlicet centum milium florenorum iuxta predictum fuerit satisfactum, idem dominus noster imperator cum principibus in aliis suis litteris conscriptis vel aliis equivalentibus, quidquid habere poterit, et alio exercitu suo imperiali inter Byns et Mon-

a) 'Colonie' Or.

1) Mai 2—8.